

DE OTTONIS IV. DESTITVTIONE

Ex MSto.

Incipiunt Versus de Allegationibus & Responſionibus, habitis inter INNOCENTIVM Papam & ROMANOS pro Imperio, unde OTTO Imperator & FREDERICVS ad invicem litigabant.

ROMA.

SAncte Pater, tua Roma tibi depono querelam.
Cum tot sustineas & tanta negotia mundi,
Gens te tota tremit, tibi soli supplicat Orbis,
Et genus humanum, te disponente, movetur,
Adque tuos nutus vel nutant omnia, vel stant.
Nam te sopito, vitii sopor omnia sopit.
Proditio regnat, dolus imperat, ambitus ambit
Blanditiis primum, quos postea lumine privat.
Lex divina perit, & machina tota vacillat.
Rursum, dum vigilas, vigilant simul omnia tecum,
Proditio moritur, dolus exulat, ambitus ambos
Effectus perdit, ita quod proscriptus ab orbe,
Nulli blandiri, nullum cecare finatur;
Lex divina viget, & machina tota refurgit.
Ut per te vigeat igitur præ prodicione
Justum, præ falso verum, præ vulpe columba,
Non OTTO moveat te, non puer APVLVS; immo
Te moveat potius mundi communis egestas,
Imperialis apex, & iusta petitio Romæ.

PAPA.

Mundi Roma caput, Urbs urbe beatior omni,
In quantum cedrus yfopum, platanusve myricas,
Aut steriles pingvis falices excellit oliva,
Urbs fecunda bonis, urbs dilectissima, quis te
Sollicitat casus? quæ te violentia pulsat?
Quis tibi defectus incumbit? ut inde querelam
Deponas, ut tristitiam notet interiorum
Exterior facies, ut verba precantia vultu
Supplice prætendas; nullam patiè repulsam,
Dummodo iusta petas, *promissis testis adesto*
Diis juranda palus, oculis incognita nostris.

ROMA.

Hoc Deus avertat, Pater o Sanctissime, quod te
Nostra querela petat à jure recedere: Nam tu,
(*Qui Decretorum* non solum doctus (*) es, immò
Auctor; non solum leges non destruis, immò
Auges; non solum juris patronus es, immò

U u u 3

Codex

(*) f. Doctur.

CARMEN

Codex) vix fineres, sentiret ut ulla lituram
 Litera justitiæ, quam fers in pectore scriptam.
 Quodque (*) minus dubites, quin ista petitio juri
 Consona sit, pietate movens, ratione perorans,
 Illo Rege regi peto, quem, diademate dignum,
 In Regem tua sancta manus sancire fategit;
 Legitimè non vi, sine Simonia, sine fraude.

PAPA.

Quis furor, o cives, quæ stulta petitio tantum
 Vos agit in facinus? Quæ vos stimulavit Herinnys?
 Ut sic unanimes relevare velitis Otonem.
 Vultis, ut Ecclesiæ Romanæ prædo resurgat,
 Hostis Catholicæ fidei, dominando superbus
 Non solum factus, sed & ipsa superbia; Clero
 Qui sic detraxit, (nullus presulatus ut esset:
 Non Abbas, immo Monachus; nec Episcopus, immò
 Clericus, & nulli sua Prælatura maneret.)
 Vobis aptus erit dominari plus Friderico
 Oto plus humili? sævus plus Rege Tyrannus?
 Induperatricis hic filius, ille Ducissæ?
 Hic fidei jussis assistens, ille resistens?

ROMA.

Quis te justitiæ stimulus pugnando laceffit?
 Quis rationis apex, quæ te sapientia pulsât,
 O Pater? ut vernâ fias incertior aurâ.
 Si modo vera loqui licet, accusando patronum,
 Oto tibi desiderio sic esse solebat,
 Ipsi ut parti velles assistere contra
 Philippi, contra fortunæ prælia, contra
 Totius Imperii, pariter mundique favorem.
 Nunc igitur solus cur adversaris eidem?
 Sanguine qui Castor, Alcides robore; donis
 Instar Alexandri; minimè considerat, ex quo
 Est aliquid dandum, cui res sit danda, sed à quo.
 Romanæ non Ecclesiæ se præbuit hostem,
 Non fidei fuit hostis, non dominando superbus,
 Non Clero detraxit in hoc, quod fortè vocavit
 Abbates Monachos; dictus quis Episcopus esse
 Clericus, & verè, non debuit inde moveri.
 Non ita conferri debet Fredericus Otoni,
 Quomodo tu confers: quia virtutes utriusque
 Attribuis reliquo, præfersque caram * Zemeneæ.
 Sis æquè medius hinc illinc: non FREDERICVS.
 Dicitur Rex, immò puer; non OTO Tyrannus,
 Immo Rex. Sed enim Ducis hic est filius, ille
 Induperatoris; jus hic colit, ille laceffit;
 Subjectis humilem se præbet hic, ille superbum.

PAPA.

In Patrem te, Roma, tuum furor armat, & in te,
 Dum tua verba meis audes opponere. Mecum
 Adversum te stat communis opinio; mecum
 Adversum te stat tua stulta petitio; mecum

Adver-

(*) f. Quòq̄.

Adversum te stat mea justa repulsa. Sponde,
 Quod si jus peteres, nullam paterere repulsam.
 Hoc autem pactum tibi me non obligat; ex quo
 Non petis utiliter, quod seu videatur honestum
 Sive decens; immò quod possit jure negari.
 Sed quia Decretis non est ostendere, per quod
 Vel tibi concludam, vel tu mihi, non modo nobis
 Dum sic conferimus: immò *Logicae* rationi
 Est insistendum. Quod enim munita probabunt
Argumenta locis, Syllogismusve, Figura
Arma modique tenens, hoc sane nemo negabit.

ROMA.

Nil nisi divinum sapit hæc sententia, tanti
 Provida consilii, *Logicis* ut discutiatur
 Sic *argumentis*, ne nos electio fallat.
 Sitamen hoc fiat, detur responsio non ad
 Singula propositi, sed ad ultima, commemorando
 Prima. Sed iccirco prior objicies, quia major.

PAPA.

Se, cui promittit, promittens obligat: ergo
 Non jam sponte dabit, immò quia debeat: ergo,
 Qui promissa negat, ea, quæ debet, negat: Inde,
 Sic imponendum cum jam diadema videret
 Oto suo capiti, metuens hoc impediendum,
 Verfus me pollicitis allexit, (ut ipsa
 Scis,) ita quod quædam mihi non promitteret, immò
 Ecclesiæ Sancti Petri. Regalia vero
 Postquam suscepit, non solum non dedit illa
 Ecclesiæ, verum se promississe negavit.
 Ergo negavit ea, quæ debuit: Abstulit ergo
 Romanæ jus Ecclesiæ. Patet ergo, quod Oto
 Ecclesiæ prædo fuerit: Non expedit ergo,
 Ut lapsus releyetur. Item, postquam diadema
 Suscepit, statim se transgrediens & honoris
 Immemor exhibiti, vires exercuit in te,
 Nec tua suscipere voluit venalia venum;
 Immo prædari, quod & ipsa fateberis. Inde,
 Sic libertatem Romanam prostituendo,
 Aut hac de causa deponi debuit, aut non.
 Si sic; non ergo debes hunc poscere Regem.
 Hinc igitur debet alius succedere. Nullus
 Autem majori merito, quam qui prius illo
 Electus fuerat, Fredericus scilicet; ergo
 In Regem FREDERICVS ei succedere debet,
 Si non; ergo tuam libertatem sine pœna
 Impugnasse potest; ergo, si forte resurgat,
 Et per te dabitur occasio deterioris
 Delicti, tua quo libertas evacuetur,
 (Quod Deus avertat) tibi sic concludit uterque
 Casus. Item, pœnam spernens Anathematis, Oto
 Noluit Ecclesiæ nobisque reconciliari,
 Dum potuit, nec sponte modo vult; immo, coactus
 Casibus adversis, est ergo reconciliandus

Nobis

Nobis post lapsum, qui, stans in prosperitate
 Dedignabatur? non, me relevante, resurget,
 Quem non dejeci; nec enim dejecimus ipsum
 Nos, sed Apostolici virtus Anathematis; ergo,
 Cum non hunc dejecerimus, nec eum relevare
 Debemus. Non debet homo relevare ruinam,
 Quam Deus induxit; non ergo petitio talis
 Exaudibilis est, quæ tot rationibus obstat.
 Nam quis contemnit vires Anathematis? Oto:
 Quis jus Ecclesiæ prædari nititur? Oto:
 Quis fidei semper fuit adversarius? Oto;
 Ergo communis discretio sentiat, utrum
 Juste depositus de jure resurgere possit.
 Sic argumentor; ubi sit fallacia, de tot
 Enthymematibus, assignes Roma vel infes.

ROMA.

Ad tua proposita breviter respondeo, sistens
 In primo, quod, se promittens obliget uno
 Casu, contingit; alio non. Si moveatur
 Ad promittendum quis sponte, tenebitur illi;
 Cui sic pollicitum, faciet. Si verò coactus,
 Non. Nec sponte sua promisit hic, immo coactus,
 Cum dare non aliter illi Regalia velles.
 Sic igitur promissa tibi non debuit Oto
 Solvere, non ergo prædo fuit illa negando.
 Quod quis promittens teneatur, dico *secundum*
Quid: tu *simpliciter* procedis; fallere tu me
 Sic intendis. Item rapuerunt Teutonicorum
 Quidam non venum venalia, sed quia (*) prædam,
 Quod non Otonis ex Imperio fuit: immo,
 Quam cito cognovit, vetuit, nobisque libenter
 Inde satisfieri iussit. Reparatio prædæ
 Amplius in decuplo valuit, quam præda; quid Oto
 Ulterius potuit? vel ponatur, quia primo
 Noffet, non ideo sequitur, quia debeat ille
 Deponi, vel debeat hoc fieri sine pœnâ.
 Puniri debet, non deponi tamen, omni
 Delicto pœna debet conformis haberi;
 Verum justitia, pietate repressa, tenetur
 Delictum majus pœnâ punire minori.
 Ergo processus momenti nullius extat,
 Cujus in Ypocrita serie me fallit Elenchus
 Supradictus. Item, non contemnens Anathema
 Ecclesiæ noluit vobisque reconciliari
 Oto, sed quia se juraverat integritatem
 Imperii servare sui: tu vero petebas,
 Quæ dare non poterat; reliquum servando tenorem,
 Perplexus dubitabat, utrum perjuriam vera,
 Immeritumve magis Anathema caveret: utrumque
 Esse videbatur inconveniens, minus autem
 Non erat eligere: quapropter in anxietatis
 Igne, facultatem præstolabatur ad ambo
 Evadenda simul inconvenientia. Sed tu,
 Dummodo, turpe licet, permittas dicere verum,

Frau-

(*) f. quasi prædam.

Fraude laborasti, cujus suggestio inire
 Fecit, ut Otonem sua turba relinqueret, hosti
 Illius assistens. Sed ne videatur habere
 Sordida præda bonos eventus, proditionis
 Ne quis regnet ope, fraus vel sua protrahat ausa
 Temporis istius exemplo; restituatur
 Oto: quem trudens in paupertatis abyssum
 Non Deus, immo dolus, de tanti culmine regni
 Jam cessare potest, & debet. Ut imperet ergo
 Oto, prout jus est, te justa petitio pulset.
 Objicis, Otonem lapsum divinitus esse,
 Hoc autem falsum. Sed tu concludis ab ipso,
 Tanquam concessio, sic ergo *litigiosus*
 Dum *Syllogismus* mihi pro *topico* fit, habetur
 Ex argumento falso conclusio falsa.
 Sic excusatus est Oto. Sed in Fredericum
 Replico. Nemo negat, quin ille brevissimus: ergo
 Aut puer aut nanus. Dic utrum? si puer, ergo
 Ætas allegat, quod adhuc sit ineptus ad illud
 Culmen. Nam *scriptum jus est, quod nemo sinatur*
Hic regnare, nisi sex lustra peregerit ævo,
Aut plus: hic autem nondum sex lustra peregit,
 Nam puer est; ergo nondum Regalia ferre
 Debet. Si nanus, ergo manifestat avaræ
 Illi naturæ vitium, vel materialis
 Causæ defectus nimius, quod tanta tenere
 Scepter nec est, nec erit aptus. Nec enim medicinæ
 Præstolatur opem, cum non symptomatis, immo
 Naturæ vitio, nec materiæ fluitantis
 Spes prædæ gruibus sit. Item nunquam reperire
 Est humilem parvum: sed hic est brevis, ergo superbus.
 Ergo status probat oppositus, non esse superbum
 Otonem, cum sint effectus oppositorum
 Oppositi. Tumidus humili, Fredericus Otoni,
 Exanimis vivo, succedere nititur: ergo
 Vult onus Alcidae Therfites ferre, gigantis
 Nanus, Teutonici Pygmæus. Sed, quia vires
 Transgreditur talis præsumptio, surgit in altum,
 Ut casu graviore ruat, correptus inani
 Ambitione puer. Ergo deponere nitens,
 Quem sanctæ favor Ecclesiæ, quem vos cathedrae
 Canonice, minuit jus Ecclesiæque Tuique.
 Vix ergo vita dignus, regnare volendo
 Demeruit, cujus inflata superbia, cæca
 Ambitio, dolus, invidiæ dant, ut meliorem
 Supplantare velit, ut quis sit, nesciat, ut de
 Alterius doleat successibus, & velit illos
 Appropriare sibi; spernens decreta Senatus,
 Sprenens Ecclesiæ Romanæ jura. Quis ergo
 Romæ Patricium deponere vult? Fredericus:
 Quis sanctæ jus Ecclesiæ dirimit? Fredericus:
 Quis toti parat Imperio lapsum? Fredericus,
 Ergo communis ratio consideret, utrum
 Imperii regimen committi debeat illi.

PAPA.

Interimo primo processum; nam Fredericus
 Revera parvus, nec vero brevissimus, immo

XXX

Plu-

Pluribus est major, qui nec pueri, neque nani
 Sunt. Brevitas igitur illum non obligat, ut sit
 Aut puer aut nanus. Brevis est, neuter tamen horum.
 Sic syllogismum mihi vendis litigiosum,
 Proh! opido sic fallis. Item [quod] non reperire
 Est humilem parvum. Sed, si posset reperiri,
 Gloria danda Deo. Quare cum sit Fredericus
 Parvus, & ipse tamen humilis, nihilominus inde
 Gloria danda Deo: Fallacia, quæ prius hinc est,
 Inde patet, quoniam non impedit esse superbum
 Otonem status oppositus. Nec ei Fredericus
 Succedens minuit Jus Ecclesiæ ve meive,
 Hoc quia non motu proprio facit, immo meique
 Ecclesiæque simul; nec in hoc est invidus, immo
 Invidiosus ei, quia felix hic, miser ille.
 Romanam non Ecclesiam, non Jura Senatus
 Spernit, Patricium non vult deponere; lapsum
 Non parat Imperio, sed post lapsum relevamen,
 Post planctus plausus, & post ablinthia Nectar.

ROMA.

Oblitus pacti respondes non sapienter,
 Immo versute: non arbitrio rationis,
 Immo voluntatis: non voce probabilitatem,
 Immo sophisma mihi prætendens. Sic mihi debens
 Vendere laternam, pro laterna mihi vendis
 Vesicam. Quod si Fredericus substituatur
 Otoni, timidus audaci, nanus adulto:
 Cum sit Canonicè catherdatus hic, ille vocatus
 Proditione: perit consuetudo, perit hujus
 Urbis honor, perit Imperii Jurisque statuti
 Integritas. Cur hoc igitur fieret? neque culpa
 Exigit Otonis hoc, nec meritum Frederici.
 Constat, quod meritum non exigit hoc Frederici:
 Culpa quod Otonis non exigit, hoc probo: Culpæ
 Non nisi tres causæ debent Anathematis esse
 Induperatori: *Conjux dimissa, minutus
 Imperialis honor, heresis.* Dimissio sponsæ
 Non accusat eum: non Imperialis honoris
 Sectio: non heresis crimen. Non ergo ligari
 Nexu debuerat Anathematis; Ipsius ergo
 Ex quo non satis est ad pœnam culpa minorem,
 Non ad majorem poterit satis esse. Sed est plus
 Delicti, per quod deponitur Induperator,
 Quam per quod patitur Anathema: nec ut pateretur
 Hoc Anathema, satis fuit ejus culpa, nec ergo
 Ut deponatur, eadem satis esse valebit.
 Tu vero, culpa non persuadente, ligasti
 Innocuum vinculis Anathematis, ergo ligando
 Illum de facto, sed non de jure ligasti,
 Et deponendo de facto deposuisti,
 Sed non de jure: Jus ergo per hoc violasti.
 Ergo, regens mundum tua pro ratione voluntas
 Effectum sine causa dat, pœnam sine culpâ.

PAPA.

Roma tace, quid enim prolixa locutio prodest?
 Quid tot verborum profunt dispendia? Dum tu
 Sic privignaris, dum mendax filia patri
 Innocuo crimen audes imponere falsum.

Alleges breviter: Breve fit, quod turpiter audes.
 Cur voces tot multiplicas? Cur vis relevare,
 Quem Deus impellit? Cur me de crimine falso
 Turpiter accusas? Dicens me deposuisse
 Otonem præter meritum, præter rationem,
 Præter jus. Non sum tam fallax, tam violentus,
 Tam pietatis inops, ut eum deponere vellem,
 Si non exigeret delictum. Sed quia, quam tu
 Fecisti nuper, argumentatio saltem
 Pulchra superficie tenus est: ne forte putetur
 Illic esse locus, cum sit fallacia, neve
 Cum sit Elenchus, ibi, Syllogismus videatur
 Esse; figillatim tua verba recolligo. Verum
 Primo proponis, assumis postea falsum.
 Primo proponis verum, tres esse reatus
 Dicendo, quorum per quemlibet Induperator
 Deponi debet, si perpetraverat illum,
 Dummodo sic constet. Assumis postea falsum,
 Dicendo quoniam non perpetraverit Oto
 Ex illis aliquem: qui diminuisse laborans
 Romanæ jus Ecclesiæ, Caput Imperiale
 Imperio detraxit. In hoc sic ergo minutus
 Imperialis honor ab eo, facit, ut videatur
 Et sit depositus justè. Tu vero quid inferis?
 Illatum sequitur ex præmissis; sed earum
 Altera falsa fuit, assumptio scilicet: ergo
 Illatum falsum; quoniam conclusio formam
 Contrahit à falso, si quod præmittitur ipsi,
 Et non à vero. Quin quælibet ars imitetur
 Naturam. Si sic in naturalibus, istud
 Fiet & in Logicis. In naturalibus hoc fit.
 Nam, *si jungatur cum sano putre trahetur,*
A putri sanum, sed non convertitur. Ec sic
 Fortior est habitu privatio, dummodo certent,
 Quod semper cedit habitus, privatio nunquam
 Cedit, & in Logicis semper sic accidit. Ex hoc
 Ergo patet, tua quod fuerit conclusio falsa
 A falso quodam præmissorum, neque vera
 A reliquo: verò sic fallere me voluisti.
 Præsumens igitur mendax temeraria, quâ me
 Fronte fefellisti? Cum sum Dominus, pater, ultor,
 Defensor Rectorque tuus, nimis ausa fuisti:
 Haut impune feres. Ad tempus differo; sed non
 Aufero vindictam. Veniet narratibus hora
 Tempestitiva meis, veniet simul ultio digna.
 Jam, tibi præcipiens, indico silentia: plura
 Dicere sub pœnâ caveas Anathematis. Absit,
 (Cum tu non Logica sis, immo Sophistica prorsus)
 Quod tecum jam plura velim conferre. Sed OTO
 Sive velis sive nolis, non restituetur,
 Cum sit depositus sua propter crimina: cujus
Retrogradum nomen regresivum notat omen.
 Nonne mihi fas est mea facta retexere? Si te
 Non moveant super hoc assignatæ rationes,
 Per quas Otoni FREDERICVS substituat,ur,
Sic volo, sic fiat, sit pro ratione voluntas.

CARMEN DE OTTONE IV. AVG.
ROMA.

Qualis Apostolici fuit hæc responsio? Qualis
Petri successor est noster Apostata? Qualis
Servorum Christi servus? Qui non rationis,
Immo voluntatis mundo moderamina spondet.
O Cleri crimen! o mundi dedecus! *ô vas*
Peccati! Cur te cognoscere negligis ipsum?
INNOCENTIVS es, ita quod non privet IN, IMMO,
Augmentet potius, *valdeque NOCENTIVS* esse
Dicaris, quia totius mundi es nocumentum.
Non es Apostolicus, sed Apostaticus: neque pastor,
Immo lupus, vescens ipso grege: nec pater, immo
Vitricus Ecclesiæ; Res sive negotia cujus
Non bene disponis, quia stultè proposuisti,
Ut tua non mundum ratio regat, immo voluntas
Irrationabilis: quod, si permitteris, ergo
A modo vivendum est sine lege: relinquitur ergo,
Ut sibi non distent homines & bruta; quod absit,
Quod Deus avertat, quod proscribatur ab ipsa
Rerum naturâ. Doleo communia per te
Schismata. Quapropter ad *Concilium Generale*
Hinc *appellandum* duxi contra Fredericum,
Contra te, contra Romani Nominis hostes.

ROMA ad CONCILIVM.

O Sanctæ fidei pia sustentacula, sanctæ
Jerusalem lapides, sanctæ collectio concurs
Ecclesiæ! vestris ovibus dispersio, vestro
Imperio lapsus, vestræ confusio Romæ
Imminet ex hujus vitio pastoris. Ut ergo
Induperatoris injustum depositorem
Justè deponat vestri discretio, cujus
Mundi dispositrix est pro ratione voluntas,
(*Quod non ipse negat*) peto. Lex non justior ulla,
Quam quod pœna suos auctores puniat; ut quis,
Quam dedit injustè, pœnam justè patiatur.
Ergo, si ratio, si jus, si sollicitudo
De grege commisso vos pulset, commodiorem
Nobis pastorem dabit, qui pro ratione,
Non pro velle regat mundum, non forte sed arte
Ductus: sublimet humiles frangatque superbos.

CONCILIVM.

Roma parens, non est nostrum deponere Papam,
Sed nos in reliquis tua justa petitio pulsat.
Nobiscum cave: deposuit de sede potentes,
Ac exaltavit humiles. Jus est Fredericum
Ut deponamus, & restituamus Otonem.

